

EPITOME LIBRI V.

In obsidione Veiorum hibernacula militibus facta sunt. Ea res quum esset nova, indignationem tribunorum plebis movit, querentium, non dari plebi nec per hiemem militiae requiem. Equites tum primum equis suis merere coeperunt. Quum inundatio ex lacu Albano facta esset, vates, qui eam rem interpretare-
tur, de hostibus captus est. Furius Camillus dictator decem annos obsessos Veios cepit: simulacrum Iuno-
nis Romam transtulit; decimam partem praedae Del-
phos Apollini misit. Idem tribunus militum, quum Faliscos ob sideret, proditos hostium filios parentibus remisit: statimque deditio nata, Faliscorum victo-
riam iustitia consecutus est. Quum alter ex censori-
bus C. Iulius decessisset, in locum eius M. Cornelius suffectus est. Nec id postea factum est: quoniam eo lustro a Gallis Roma capta est. Furius Camillus, quum ei dies a L. Appuleio tribuno plebis dicta esset, in exsiliu m abiit. Quum Senones Galli Clusium ob si-
derent, et legati, a senatu missi ad componendam inter eos et Clusinos pacem, pugnantes contra Gallos in acie Clusinorum stetissent: hoc facto eorum concitati Se-
nones urbem infesto exercitu petierunt, fusisque ad Alliam flumen Romanis, cepere urbem praeter Capito-
lium, in quod se iuventus contulerat: maiores natu-
cum insignibus honorum, quos quisque gesserat, in vestibulis aedium sedentes, occiderunt. Et quum per aversam partem Capitolii iam in summum evassissent, proditi clangore anserum, M. Manlii praecipue opera deiecti sunt. Coactis deinde propter famem Romanis descendere, ut mille pondo auri darent, et hoc pretio finem obsidionis emerent; Furius Camillus, dictator

*absens creatus, inter pendendum aurum cum exercitu
venit, et Gallos post sextum mensem urbe expulit, ce-
cidiitque. Aedes Aio Locutio facta, quo loco ante ur-
bem captam vox audita erat, adventare Gallos. Di-
ctum est, ad Veios migrandum esse propter incensam
et dirutam urbem: quod consilium Camillo auctore
discussum est. Movit populum vocis quoque omen ex
centurione auditae, qui, quum in forum venisset, ma-
nipulariis suis dixerat: Sta miles; hic optime ma-
nebimus.*

T. LIVII PATAVINI LIBER V.

Pace alibi parta, Romani Veiique in armis erant tanta ira odioque, ut victis finem adesse appareret. Comitia utriusque populi longe diversa ratione facta sunt. Romani auxere tribunorum militum consulari potestate numerum. Octo, quot nunquam antea, creati, M'. Aemilius Mamercinus iterum, L. Valerius Potitus tertium, Ap. Claudius Crassus, M. Quintilius Varus, L. Iulius Iulus, M. Postumius, M. Furius Camillus, M. Postumius Albinus. Veientes contra tandem annuae ambitionis, quae interdum discordiarum causa erat, regem creavere. Offendit ea res populorum Etruriae animos, non maiore odio regni, quam ipsius regis. Gravis iam is antea genti fuerat opibus superbiaque, quia sollennia ludorum, quos intermitti nefas est, violenter diremisset: quum ob iram repulsa, quod suffragio duodecim populorum aliis sacerdos ei praelatus esset, artifices, quorum magna pars ipsius servi erant, ex medio ludicro repente abduxit. Gens itaque, ante omnes alias eo magis dedita reli-